




OK 34 28



B.M. 534, 7.

B. m. II, 661

D E

EO QVOD PVLCHRVM EST

IN CARMINIBVS ELEGIACIS

P. LOTICHII SECUNDI

DISSERIT

S I M V L Q V E

AD AVDIENDAS

IV. ORATIVNCVLAS

I N

SCHOLA NOVAE VRBIS AD
DRESDAM

A. D. XX. MART. A. C. CLIC CCLXVI.

HORA II. HABENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

HUMANISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIUS

RECTOR.

FRIDERICOSTADII

EX OFFICINA HAGENMULLERIANA



DE
IN OLOD LICHENI EST
IN CATHARAS HISTORIAS
ET FOTIIS SCHMIDT
DEBERT

AD AVBIESENDAS
LA. ORATIVAS
SCHOIY NOAE VINS AD
MASSAS
PATRONAS ET HISTORIAS
UNIVERSITATIS AMERICANAE
IN CHRISTIANAS HISTORIAS GALLIAE
LUDOVICO

AMERICANA MECENATI
CENSUS



quamquam Saeculum XVI. post C. N. magnum poëtarum tulit pro-
ventum, qui, a natura ad poësin facti, suavitate & elegantia carmi-
num, dulcedine & concinnitate numerorum, veteres, felici imita-
tione consecuti sunt; haud tamen scio, an ullus eorum, elegantia
sermonis, admirabili & fere invidendo nativae simplicitatis cultu,
venae ubertate ac copia, compositionis suavitate, & praesertim artificiosissima
veterum imitatione, Lotichium, poëtarum Germanorum principem, non dicam
superaverit, sed tantum assecutus sit. Tantum autem abest, ut reliquos illius
Saeculi poëtas, Eobanum Heslum, Georgium Sabinum, Joannem Bocerum, Ge-
orgium Fabricium, Jacobum Micyllum, Jo. Fabricium Montanum, multosque
alias Lotichio aequales deipiciam, ut potius eorum carmina, lectu dignissima
judicem; sed tantum maxima cum animi persuasione contendeo, me in hoc uno
vate præstantissimo, omnia conjuncta invenisse, quae in aliis separata laudantur.
Sive enim delectum & nitorem verborum, magnificantiam translationum, veri-
tatem & acumen sententiarum, urbanitatem jocorum, &, ut uno verbo dicam,
naturalem pulchritudinem, quam tamen paucissimi nostris temporibus sentiunt,
respicio, brevi examine invenio, has virtutes omnes a Lotichio ita esse expres-
sus, ut nihil fere supra esse cogitarique possit: Sive restitudinem numerorum,
& aptitudinem membrorum, maxima jucundissimaque variatione prolatorum,
considero, blanda quadam vi, in maximam Lotichii admirationem, vel invitus
rapior, indignabundusque doleo, cum Cel. Schillingio,¹⁾ populari meo doctis-
simo, Germaniam nostram tam ingratam in præstantissimum hunc vatem esse, ut

A 2

multi

1) In Carm. ab eo editis Lips. 1761. ubi p. 89. Elogium Lotichii.

Est oblita tui Germania. Quam bene! Tellus
Barbara Romanum nesciat ingenium.

multi sunt, viri alias non indocti, qui Lotichium ejusque carmina vix nomine noscant: Sive denique ad audaciam, quatenus in genere Elegiaco locum habet, aut verecundiam in rebus & dictis, aut varietatem argumenti, temporibus nostris accommodatam, reliquasque summi poëtae virtutes specto, ingenue liberaliterque fateri cogor, haec omnia ita fuisse in uno Lotichio, ut haud sciam, an in ullo alio, in primis si a veteribus poëtis, Virgilio, Horatio, Ovidio, Tibullo, aliisque discesseris, unquam fuerint. Praecipua tamen Lotichii nostri laus, nisi totus erro, & amabilis quaedam vis, me in his carminibus dijudicandis coecum reddidit, esse videtur, quod asfidua veterum poëtarum lectione, seu ut res iudicam, more Romanorum & Graecorum, ediscendo veterum carmina¹⁾ praestantissima, consecutus sit hoc, ut cuiusvis virtutes praecipuas non modo sentire, sed, quod difficilius est, etiam felicissima imitatione, sine omni tamen plagio, eleganter exprimeret. Quare etiam, auctore Cel. Petr. Burmanno Secundo, qui opera Petr. Lotichii Secundi, tam prolaica quam poëtica nitidissime duobus Voluminibus, forma media, eaque maxima, Amstelaedami 1700CLIV. edidit, dictu difficultimum est, quemnam ex poëtis, qui supersunt, Elegiacis antiquis, sibi praecipue exprimendum propofuerit.²⁾ Ne autem, quae haec tenus in laudes Lotichii breviter strictimque a me disputata sunt, pro auctoritate praetoria, quae in rebus poëticis, parum valet, aut aliorum sententiis deceptus, dixisse videar, juvat, singula paulo presius persequi, exemplisque e carminibus Lotichii desumptis, veterumque effatis comparatis, probare, tam, ut Patronis atque Fau-toribus meis pie Devenrandis demonstrem, quam viam atque rationem in explicandis interpretandisque auctoribus clasificis sequi soleam, cum multi, mei ordinis viri, judge, Cel. Klotzio,³⁾ elegantissimo, in legendis interpretandisque antiquorum auctorum libris nihil faciant, quam ut dicendi formulas explicitent, excerpant, edificant: quaedam ad antiquos ritus pertinentia, colligant, de figuris quaedam, tropis, periodis, quae e vulgaribus libris memoriae mandarunt, moneant; reliqua vero, quae ad venustatem pertinent, quae in apte tractanda re appetit, aut ad elegantiam per omnem orationem aequaliter diffusam speulant, parum carent, nec facile cogitent, quam eleganter scriptor rem propofuerit, ornaverit, diviserit, aut assensum auditorum elicuerit; aut denique per quas artes, easdem virtutes faciliter imitatione consequi possumus: quam etiam, ut juvenes artis poëticae studiosos, in primis disciplinae meae traditos, hac prolatione, de eo, quod pulchrum est in carminibus Lotichii, ad diligentiores veterum & recentiorum poëtarum lectionem humanissime invitem, exemplisque de-

mon-

1) Quintil. Instit. orat. Lib. II. cap. 7. p. 156. ed. Burm. 2) Profat. p. 3. 3) Opuscula Altenb., ed. 1766. p. 231.

monstrem, quid in carmine Elegiaco, quo Lotichius omnibus inter recentiores palmam praeripiisse videtur, pulchrum elegansque censeatur, quidque in nova editione horum carminum, quam in gratiam studiosae juventutis, rogatus paro, sim praefiturus. Cui etiam reservavi ea, quae tam ad vitam Lotichii, a Cel. Hagiо, poëtae nostro aequali, eleganter descriptam, pertinent, quam quae ad rectum horum carminum sensum, in locis difficilioribus affequendum, perpetuamque fere Ovidii, Tibulli aliorumque masculam imitationem, spectant. Quare omnis opera nostra, in hac prolusione scholastica, tantum versabitur in demonstranda pulchritudine Lotichii carminum Elegiacorum in genere: quae, cum tam in elegantia & puritate sermonis, quam suavitate & concinnitate compositionis, ad imitationem veterum poëtarum, in vate recentioris aetatis cernatur, nobis de singulis sigillatim dicendum erit.

Quum poëtae, auctore Horatio, poëta elegantissimo, non tam arte & institutione, quam natura & nobili vena, fiant, haud superfluum erit, in limine statim hujus prolusionis, de eo, quod pulchrum est in carminibus Elegiacis Lotichii, monuisse, auctorem nostrum, non tam institutione Jacobi Micylli, Philippi Melanchthonis, & Joachimi Camerarii, quorum tamen institutioni ipse fere omnia, grato animo tribuebat, factum esse perfectissimum poëtam; sed potius ipsa benigna natura, quam in tribuendis animi dotibus in primis poëticis, habuerat fautricem. Teste enim Cel. Hagiо,¹⁾ auctore fide dignissimo, judiceque non improbando, statim in Lotichio adhuc puero, naturalis quidam impetus fuit ad studium poëticum, ut, quidquid extra carmen ageret, quasi aliud agens, ut dicere solebat, ageret. Hinc puer admodum, ruri saepe libenter fuit, atque in agris & silvis errans, inter pastores cantavit, nescio quae, pastoralia ac numina silvestria, ita ut jam dum videretur, Maronaeam silvestrem Musam tenui meditari avena. Quare jure cum Ovidio,²⁾ quem fere ubivis in carminibus expressit, dicere potuit:

At mihi jam puero celestia sacra placebant;

Inque suum furtim Musa trahebat opus.

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos:

Et, quod tentabam dicere, versus erat.

Hos autem occultos artis Musicae igniculos excitandos, opesque naturae reconditas eliciendas expoliendasque sibi summis Jacobus Micyllus, qui eo tempore litteras tam Graecas quam Latinas in Schola Francofurtensi multa cum laude profitebatur, cuiusque disciplinae Lotichius noster, a Patruo suo, Abate Solitariensi,

A 3

1) Tom. II, p. 79, ed. Burm.

2) Trist. IV, 10, 19, ss.

riensi, a quo cognoscere Secundi distingui voluit, ita traditus erat, ut pars quasi parva domus illius esset. Nam quamquam natura etiam sine doctrina multum valet, necesse tamen est, vel certe res melius procedit, si ars & institutio accurata accedit. De qua re plura differere, nec hujus loci est, nec necesse esse videtur, cum nobis jam ab Horatio,¹⁾ Quintiliano,²⁾ multisque aliis otium factum sit, nec ea facile a quoquam negatur. Quare etiam Lotichius non solum Micylli institutionem artis poeticae, avidis quasi auribus imbibit, ita ut diurnam statim veller extinguere; sed gratus etiam ei fere omnia adscriptis:³⁾

Tu nisi, inquit, Pegasidas duxisses primus ad undas,
Arida neglectae vena perisset aquæ.

Neque dubito, huic institutioni Micylli, a Camerario & Melanchthonie auctæ & expolitæ tribuere, quod Lotichius noster sequentibus temporibus carmina sua, ad aurum voluptatem, animique sensum composita, neque stans pede in uno, subito ingenii impetu fuderit, neque maxima elocutionis compositionisque cura represserit. Vtrumque enim pulchritudinem, quam dicunt, naturalem, mirum in modum impedit, mediumque, etiam in arte poetica, beati tenent. Hinc Lotichius noster ab Horatio⁴⁾ edocetus, omne carmen ad unguem decies perfectum, castigavit, rescripsit, atque emendavit, ut novum esse videretur. Qua occasione haud superfluum erit, & hic monuisse, Lotichium nostrum, anno aetatis suae XXII. quaedam carmina Parisiis clo lo li. emisisse, & Dan. Stibaro, Equiti Franco, cuius filii in Galliam peregrinantibus additus erat studiorum morumque moderator, adscripsisse; quae editio una cum ea, quae Lipsiae clo lo lxi. cura Camerarii recusa est, his terris rarissima est. Quodsi carmina, quae in his duabus editionibus leguntur, quarum altera nobis, a Cel. Clodio demonstrata est, compares cum iis, quae in vulgatis editionibus reperiuntur, parum abest, quin nova aliaque esse putas, cum tamen eadem sint, aut, cum Cel. Kortholto,⁵⁾ Lotichium in illis mediocrem, in his vero omnibus numeris absolutum poetam se praestitisse judices. Neque minus cura studiumque Lotichii in conficiendis emendandisque carminibus cernitur e lacunis & hiatus, qui in elaboratissimis poetæ nostri carminibus reperiuntur, quorum in editione Lipsiensi prima, nullum deprehendimus vestigium. Tantum autem abest, ut hæ lacunæ, optimo Lotichio sint dedecori, ut potius probent, eum nec studisse versus, spiritu nervisque carentes, nec vim naturæ intulisse, sed more præstantissimorum poetarum

quae-

1) Art. poet. v. 408. 2) Instit. Orat. Lib. II. c. 19. p. 200, ed. Bur. 3) Lotich. II. 15. 39. ed. Bur. p. 171. 4) Art. poet. v. 294. 5) In disquis. de Obsid. Magd. §. 6, quae Tom. II. ed. Bur. inserta est.

quaedam in aliud tempus distulisse, operibusque suis immortuum esse. Quemadmodum enim nemo prudentum, Virgilii Aeneidos libros, ob quosdam versus imperfectos, pro opere tenui vilique habet, quin potius praestantissimum carminum Virgilii putet; sic etiam neque pulchritudini, neque perfectioni carminum Lotichii nostri quicquam periit eo, quod versus quosdam nondum absolutos habent. Quo loco tironum causa duo monere juvat: primum, ne imitentur perversum nonnullorum, vitio quasi creatorum Criticorum morem, qui, ubi lacunam in auctore quodam inveniunt, suum esse putant, felicitate ingenii, audacia dicere volui, eam supplere, suosque labores ac conjecturas, plerumque temerarias, textus verbis inserere: qua temeritate sit, ut auctoris verba ita saepe corrumpantur, ut, si ipse e mortuis rediret, vix opera sua agnitus, malam gratiam his perversoribus habiturus esset: deinde ne sequantur, non minus perversam Aristarchorum quorundam consuetudinem, qui lacunas hiatusque consti-
tuunt, ubi ne illum quidem eorum vestigium reperitur, aut qui secant delen-
que, ubi vel nexus est paullulum implicitus, vel vocabulum occurrit, quod isti
statores linguae latinae concoquere non possunt, quia a Nizolio e Cicerone non
notatum est. Qua labe Cel. Heinsius, in recensendis Ovidii carminibus quo-
dammodo infectus fuisse videtur, quippe qui lacunas in Metamorphoseos libris
constituere, nonnullos versus, si non plane tollere, uncis saltē includere vo-
luit. Sed redeamus ad Lotichium, qui, et si carmina summa cura summoque
studio composita, saepeque emendavit; ingenii tamen impetum anxia elocu-
tionis & compositionis cura non plane represit. Quare etiam Georgium Fa-
briicum, decus quondam & ornamentum Scholae Afranaeae, quae Misenae flo-
ret, carmine monuit, ut poemata, jam satis castigata, deciesque ad unguem
præfesta, per ora virorum volare fineret.¹⁾

Jam sat, inquit, nam modus esset debet, illos
Aerumnosa coercuit litura. &c.

Neque minus carmina quaedam, in primis brevia & jocosa, quae inter juvenilia leguntur in editionibus Camerarii & Hagii, αὐτοσχεδίως scripsit, quae quamquam elegantia non aequant reliqua studiose scripta, saepeque emendata: naturali tamen quadam pulchritudine gaudent, poëtamque elegantissimum pro-
dunt.

Hoc in universum de pulchritudine carminum Lotichii disputasse, sufficiat; jam veniendum est ad ejus partes, ubi necesse erit, ut, primo considere-
mus sermonis elegantiam puritatemque, sine qua carminibus nulla inesse potest
pulchri-

1) Lib. I. car. p. 135. ed. Cam, de anno 1603.

pulchritudo. — Est autem èa, partim in verbis ipsis, eorumque lectu, partim in loquendi formulis, ab optimo veterum quovis probatis, sita.

Etenim nihil magis temerarium esse, singique potest, quam si grammaticae quidam in trivio docti, aut obscuri philosophastae sibi, maleque cautis, stulto imitatorum pecori, persuadere tentant, nullum prope esse discrimen vocabulorum, sed omnia aequa bona, honesta elegantiaque esse. Qua perversa opinione ducti, libros latinos conscribunt, quos nemo latine doctus intelligit, vocabula jam antiquata cum recentioribus conjungunt, resque, sua natura notas, obscuris vocibus reddunt obscuriores. Quare uniuscujusvis Grammatici primum praecipuumque officium esse debet, ut veram vim ac potestatem omnium vocabulorum ipse teneat, eamque suae disciplinae traditis inculcat, vocabula solemnia breviter sineque superbiae fastu explicet, semperque moneat, non omnes voces ubi vis eandem gratiam eandemque potestatem habere. Cujus rei memor Lotichius noster ubi vis vocibus puris usus est, sed tamen aliis in carmine, aliis in oratione pedestri. Neque minus vocabula accommodavit rerum argumentis, carminum generibus, loquentiumque conditionibus. Cui enim quae se vel ex Horatio¹⁾ ignotum est, vocabula, quae genus Elegiacum ornant, carmina lyrica interdum dehonestare? Aut quem fugit, vocabula, quae in ore Davi pulchra sunt, Oedipo dedecori esse? Hinc Lotichius noster in quovis carmine elegit verba illustria, poëtis propria, rebusque accommodata; seduloque fugit vocabula barbara, peregrina, sordida, minusque honesta. Etenim in lectu verborum, more illius Saeculi, quod Ciceronianum quodammodo dicendum est, tam anxius saepe esse videtur, ut non facile admiserit vocabulum, in primis in oratione pedestri, quod non Ciceronis auctoritate innitatur. Quam consuetudinem, Ciceronis scribendi genus ubi vis exprimendi, et si ex toto, ut dicunt, non probbo; ingenuo tamen fateor, eam imitationem facilius ferendam esse, quam barbariem, & a dicendi genere monachorum stupidorum, parum diversam scribendi rationem, multorum hominum nostrae aetatis, qui litteras elegantes vi munerum profitentur. Quamquam autem Lotichius, elegantiae dictiones studiosissimus fuit, veteresque felicissime expressit; nihil tamen minus Cel. Burmannus, in notis prolixissimis ad Lotichium nonnulla vocabula, parum latina scite notavit. Usus es, bone Lotichi, vocibus, Compater, Salvater, Prorector, & Disparitas. Magnum crimen! pessima vocabula! parum abest, quin austeri Critici, alta voce suos convocent, ut sibilo Te puniant. Sed nihil timeto amice, duo priora fortasse, non a Te ipso profecta sunt; leguntur enim in car-

1) Art. poet. v. 235.

carminum tuorum inscriptionibus, quas ab aliis additas esse multi putant: deinde tibi, poëtae jam ab Horatio ¹⁾ jus concessum est, in re nova, Ciceronique incognita, novam creandi vocem: defendit vocem, Salvator, inscriptio a Grutero ²⁾ prolata, tempore Trajani ercta: defendit vocabulum Protector, Ammiani Marcellini, auctoritas: Disparitatis autem vocem fortasse ipse damnassè, si mortis crudelitas te tam subito casu non rapuisset. Nos autem in solarium Tui cum Horatio exclamamus: ³⁾

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas ait incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. —

A vocibus autem folidis, spurcis atque obscenis, quae suavitatem impe-
diunt, castasque hominum aures offendunt, plane abhorret castissimus Lotichius.
Quare haud dubitamus, ei quoque vindicare verecundiam, quam nuper Cel.
Klotzius, Virgilio in verbis & rebus asseruit.⁴⁾ Etsi enim impurum Catullum,
nequitiae & artis amatoriae magistrum Ovidium, parum verecundum Tibullum
& Propertium, aliosque ita legerat, ut eorum carmina ex promta fere memo-
ria recitare posset; tamen haec impura omnia, ob quae multi Petronium Ca-
tullum, aliosque legunt, ita fugit in carminibus, ut omnia candida & venusta ap-
pareant. Etenim non tantum ipse verecundiae studiosus fuit; sed etiam aliis
hanc auream virtutem svasit.⁵⁾

Odi ego difficiles salebras, inamabile Carmen:

Aonio tintum nectare Carmen amo.

— Sed enim tu mente pudica

Caste puer, castis carmina finge modis.

Negandum quidem non est, occurrere quaedam carmina amatoria in Lotichio,
in primis libro secundo Elegiarum, qui amores ejus continet, multaque de Clau-
dia, Callirhoe, Panaride habet; ast usus est jure poëtarum, qui non tantum do-
cere, sed etiam delectare cupiunt: ut caste amavit, sic etiam verecunde scripsit:
praeterea danda sunt haec carmina fervori juventutis, & cogitandum, eum,
cantando molles amores, carmen mollius duxisse, oblationemque honestam
inde ad molliendas animi curas percepisse; & denique hoc carminum genere

1) Art. poet. v. 50. ff. 2) p. 19. n. 5. 3) Art. poet. v. 351. ff. 4) cf. Opuscula
varii argumenti p. 242. ubi haec diff. inserta legitur. 5) Juven. p. 289.
ed. Cam.

poliri ingenium & nutriti eloquentiam venamque poëticam. Sed audiamus ve-
recundum Lotichium ipsum : ¹⁾

— — — sed resque locusque
Plura vetant, volucri cetera mando Deo.

Hagium pie monet : ²⁾

Ne precor o turbae more furentis ames.

Ipse mihi videor nunc demum vivere, postquam
Haec penitus cessit pectore cura meo.

De Rosemanno somniat : ³⁾

Cetera vos quercus scitis, volucresque canorae

Virgine cum sola quid Rosemannus agat.

Omnia spectabam, sed non tamen omnia dicam &c.

In carmine epithalamio, a Cel. Burm. primum inter Lotichii carmina edito : ⁴⁾

Cetera quae nostra non debent voce moneri,
Monstrabit praesens connubialis Hymen.

Quam verecundiam autem in rebus amatoriis describendis observavit Lotichius; eandem etiam deprehendi in eo, quod neminem carminibus suis laeserit. Nullio in loco petiti ignavos stupidosque monachos suae aetatis; nullo verbo violavit Carolum V. quamquam Philippum Melanchthonem, optimum Lotichii praecoptorem, Musasque Wittebergenses, una cum poëta nostro ex hac grata sede depulerat, eumque coegerat, ut Electoris Saxoniae signa sequeretur: nunquam maledixit illi feminæ Bononiensi, ne nominavit eam quidem, quae philtrum praeparaverat, amico Lotichii destinatum, ab ipso autem inscio haustum, quo in gravissimum incidit morbum, viresque animi & corporis ita perdidit, ut diem supremum, anno aetatis XXXII. Heidelbergæ obire cogeretur. Ex quo patet eum verissime effigie suae subscriptissime : ⁵⁾

Ira brevis, moderatus amor, patientia viatrix,
Invidia pectus, carmina felle carent.

Sed transeamus a verbis verecundis ad voces a propria significatione ad alienas cum virtute & gratia translatas, quas metaphoricas vocant. In quibus usur-

1) Juven. p. 285. 2) Juven. p. 277. 3) Juven. p. 259. 4) Tom. I. p. 546.

5) Effigies Lotichii cum duplice inscriptione, altera a Lotichio ipso, altera a Jo. Petr. Lotichio concocta, cernitur in ed. Burm,

usurpandis, more optimorum auctorum, & usum spectavit, & modum adhibuit, ut dictio neque obscura, neque hiulca reddita sit. Hinc miscuit translatis, vocabula propria, more pictorum, qui & umbrae locum in quavis pictura relinquent. Nam poëtis & pictoribus, auctore Horatio, ¹⁾ aequa potestas, eademque leges scriptae sunt; & ipsa poësis quodammodo pictura animata & loquens est. Quamquam autem translata vocabula totam orationem ornant, ita, ut tam aures oblectent, quam animum moveant, ducant, rapiant; tamen descriptiōnibus, quibus poëtae tanquam stellis illustrare solent carmina, singularem conciliant gratiam. In quibus pingendis Secundus noster admirabilis fuit artifex. Sed quoniam infra, nobis pauca dicenda erunt de descriptionibus, reservemus exempla vocabulorum translatorum ad illum locum; properemusque a nudis vocibus, ad formulas loquendi.

Cernitur autem pulchritudo non tantum in eo, ut semper regulas grammaticas bene observaverit Lotichius, in componendis dicendi formulis, sed praeceps, ut adhibuerit locutiones, ab optimis quibusvis frequentatas, utque sedulo vitaverit, tam obsoletas quam minus audaces. Inprimis mihi valde placuerunt locutiones, quibus, in exprimendis rebus sacris, usus est, sine vitiōsa descriptione & anxia fuga vocabulorum theologicorum. Quid elegantius dici potest?²⁾ Contigit mihi,

Abluere antique mala sed contagia culpae
Inque salutiferis sumere nomen aquis?

cum qua elocutione, conferenda sunt carmina argumenti sacri, ut tirones discant etiam de rebus, quae spectant ad fidem nostram, pure eleganterque disserere. Neque minus gratae sunt dicendi formulae, quibus expressit res veteribus ignotas. Cui non placent?

ferrea late
Pondera, sulfureis ignibus acta, volant.³⁾

Dum cava terrificis ielibus aera tonant.

Machina nec volucres torqueret ahenea glandes.⁴⁾

Sunt tamen, quaedam dicendi formulae, quae vix auctoritate scriptoris aureae aetatis confirmari posse mihi videntur, quas hic indicasse hanc superfluum censeo. Sic occurrit locutio, gerere partes,⁵⁾ pro qua veteres dixerunt omnes,

B 2

agere

1) Art. Poet. v. 9. 2) Lib. II. eleg. 8. 3) Lib. I. eleg. 1. 4) Lib. I. eleg. 2.
5) Lib. I. eleg. 2.

agere partes. Neque minus dixit: gaudia pererrabant mentem,¹⁾ cum tamen veteres dicant: gaudia pertentabant mentem. Quodsi vero scripta multorum eruditorum nostri aevi hoc modo examinare & percurrere vellemus, haud dubie brevi carmine, plures ejusmodi locutiones inveniremus, quam in omnibus Lotichii carminum libris subtilissimi critici deprehenderunt. Nunquam dixit, primitias scribere, sed offerre; nunquam fidem alicui rei adhibere, sed semper fidem alicui habere, aut fidem addere, & sexcenta plura, quae hodie a plerisque ignorantur.

Sed deveniendum nobis est ad alteram hujus dissertationculae partem, ad compositionis suavitatem, qua singularem Lotichius carminibus suis dedit pulchritudinem. Ponunt autem Grammatici hanc virtutem in verborum & epithetorum collocatione, in numerorum & membrorum concinnitate, figurarum exornatione, eleganti versuum clausula, exquisitis & illustribus sententiis, commemorationibus, personis, locis, rebusque aptis, descriptionibus & comparationibus elegantibus, multisque aliis rebus pluribus, apud optimos quosque poëtas obviis. De singulis nunc presius.

In collocatione verborum, qua plurimi ex ignorantia sunt negligentes, rati, parum interesse, quo quis ordine vocabula latina, in primis in oratione pedestri, efficerat; Lotichius noster sedulo vitasse videtur tam concursum vocalium, ex quo necesse est, ut elisiones, quam maxime durae orientur, quam consonantium asperitatem, quae terfas rerum intelligentium aures violat, ac similitudinem litterarum & syllabarum, nisi ubi rerum natura postulavit. Quod elisiones attinet, eas quidem poëta noster cum optimis antiquorum communes habet, nec unquam, quantum scio, inter vitia orationis relatae sunt; interim tamen, ne aures, musicae suavitati adsuetas violaret, crebras vitavit, praecipue eas, quae ingratum sonum efficere videntur. Nam, quamquam non nego, esse quaedam loca, in carminibns Lötichii, in quibus elisiones propemodum durae, reperiuntur, quae aut transponendis verbis aut permittandis iis cum aliis, facili negotio tolli possent; tamen more optimorum, fortasse etiam ex incuria, a qua nemo satis tutus est, aut ex imitatione vel vitiorum Tibulli, eas inspersit. Sic semper me offendit: Spargereque hostili²⁾ — — pro quo mollius, meis certe auribus esset: Spargere & hostili: sed loca similia habet Tibullus³⁾ quem fere ubivis imitatur. Reddereque antiquo. Neque minus hiatus, seu neglectus elisionis,

1) Lib. III, eleg. 1. 2) Lib. IV, eleg. 5. 3) I, 3.

sionis, in carmine Elegiaco infrequens & audax apud nostrum occurrit, magis notandus, quam imitatione exprimendus. Dixit

*Castra valete, valete enses, vale hospita terra.*¹⁾

*Responsant cava faxa vale, vale optime Sarni.*²⁾

Erunt fortasse, ignorantes tamen, primam in vale syllabam nunquam produci posse, qui putent, in utroque versu esse spondaeum, non dactylum: sed jam, dudum critici hunc errorem refutarunt ad Virgilii locum, nostris simillimum:

*Et longum formose vale vale, inquit, Jola.*³⁾

Sic etiam sibili, parum grati occurrunt, ex quibus unum adduxisse sufficiat:

Haec furit in nostris, paucis prohibentibus, oris quem versum Cel. Burmannus⁴⁾ sic in notis emendavit:

Haec furit in nostras, paucis prohibentibus, oras.

In Epithetis, & eligendis & usurpandis, Secundus noster, Musarum Gratiarumque alumnus, neutiquam perversum versificatorum quorundam morem secutus est, qui in carminibus consarcientis, epithetisque eligendis, nihil spequant, quam ut in Gradu ad Parnassum, caballo illo, utroque pede claudicante, vocabulum anxie anquirant, metro, in quo versantur, aptum. Quodsi post multos exantatos labores, tandem aliquando invenerunt, tripudio quasi exsultant, statimque notant, ne fortasse & beata memoria elabatur, haud cogitantes, epitheta ex intima ratione ac natura rei de promenda esse. A qua perverba consuetudine ita remotus fuit Lotichius noster, ut semper eligeret vocabula rebus apta, pura & elegantia, utque otiosa, dura & nimis prolixa e carminibus suis penitus proscriberet. Negandum quidem non est, vel in ipso Homero, ex quo fere omnes hauserunt, occurrere epitheta, quodammodo otiosa; sed bene monuit Cel. Ernesti ad Homerum, ea ad vivum non esse resecanda, nec verbum de verbo interpretanda. Ceterum tamen duo sunt, in quae optimus Lotichius inscius peccasse videtur, quae ut artis poeticae studiosi evitent, monuisse hic non absonum erit. Cumulavit bis epitheta ita, ut totus versus iis absolvatur:

*Integer, innocuus, pius, utilis, omnibus aequa.*⁵⁾

Strenuus, excellens, candidus, acer eras.⁶⁾
Deinde posuisse videtur ad unum Substantivum duo epitheta sine copula:

B 3

Is

1) XI. 13. 2) Ecl. I. v. 58. 3) Ecl. I. 3. 79. 4) Lib. V. eleg. 18. p. 376. ed. Bur. 5) Lib. I. car. p. 177, ed. Cam. 6) Lib. IV. eleg. 5.

Is desiderio tabescens moestus inani.¹⁾
Neutrum horum monuissem, nisi viros doctissimos in utroque turpiter lapsos esse
vidissem.

Jam veniamus ad ἐνεργίαν & συμμετείαν, quae auctore Isocrate²⁾
ψυχαγγεῖ τὰς ἀκέντας. Est autem συμμετεία tam in justa syllabarum men-
sura, quam in suavi quadam versuum dimensione. Quamquam autem Lotichi-
us noster in dimetiendo syllabis veteres presso quasi pede securus est, legesque
metri ita tenuit, ut haud sciam, an ullus alius; tamen aliquoties in leges metri
peccavit, suoque exemplo docuit, lapsum in nulla fere re faciliorem esse, quam
in constituenda syllabarum mensura. Quare haec errata elegantissimi poëtae,
hic non proferrem, nisi diligens poëtarum nostri aevi lectio, me docuisse, esse
adhuc permultos, qui ad eosdem lapides attingant, qui poëtae nostro offendicu-
culo fuerunt, cum in vulgaribus de prosodia libris, nulla eorum fiat mentio.
In horum numerum refero, quod ultimam in Ergo corripi posse, cum multis aliis
credidisse videatur, cum tamen a Virgilio, Horatio & reliquis semper produca-
tur. Occurris, bone Lotichi, te tunc demum ultimam hujus vocis corripuisse,
si Graecorum³⁾ indicet, non autem cum pro causa sit positum. Vrges pae-
tarea Ovidii⁴⁾ auctoritatem:

Ergo cave Liber — —

Sed, quod pace tua dictum sit, erras, viciosa Ovidii editione deceptus. Critici
nostrae aetatis e Codicibus jam demonstrarunt, Ovidium scripsisse:

Ergo, care Liber — —

Cui rei accedit, ut infinita fere copia exemplorum adsit, quae distinctionem tu-
am tollunt, voxque Ergo olim substantivum, ut apud Graecos ἔγω fuisse vi-
deatur. Neque minus a consuetudine veterum recessisti corripiendo verba:
detracto, placabo, rigabo, oro, desino, & nonnulla alia, quae producenda sunt,
cum Graece sit ω. Distinctio haud dubie tibi in mentem non venit, quam
Grammatici in voce Idem docuerunt, qui eam in masculino productam, in ge-
nere autem neutro correptam esse volunt. Tandem etiam mala, Cic.⁴⁾ de
divinatione libri editione mihi deceptus esse videris, cum primam in quatuor
brevem, aut saltem anticipitem credidisti. In quo enim loco laudato, legisti:

Cedunt ter quatuor de coelo — —

Critici

1) Lib. II, car. p. 168. 2) In Evang. p. 53, ed. Wolf. 1555. 3) Trist. I. I. 87;
4) Lib. I, c. 48, ed. Ern. p. 646.

Critici jam dudum; addicentibus Codicibus, scribi curarunt? Cedunt coelo ter
quatuor corpora sancta, ita ut per συνέγνωσιν spondaeus sit. ¹⁾ Sed nolo, plura
addere, ne Te, verecunde Lotichi, in maximum projiciam pudorem, memor
aureae Quintiliiani regulae,¹⁾ qua poëtarum errata non manifestanda sed oc-
cultanda sunt.

Altera συμμετρίας virtus, justa versuum dimensio, qua Lotichius carni-
nibus permagnam largitus est gratiam, tam varia tamque diversa est, ut ipsa
varietate se mirum in modum commendet, vixque certis regulis adstringi pos-
sit. Cujus quaeso aures, poëticis elegantias ad suetae non capiuntur, si epithe-
ta, vel praeponuntur ita, ut quadam vicisitudine jungantur?

Proxima Vandalico, terra, Micylle, solo,²⁾
Flavus ubi torquens infidas Albis arenas.

vel si per interiectas orationis partes a Subjectis separantur, permanente tamen
eadem vicisitudine?

Longior angustos efficit umbra dies.

Saevaque discordes exercent proelia venti.³⁾

vel si versus, aut distichon ab Adjectivo illius Substantivi incipitur, quod ver-
sum claudit?⁴⁾

Argutae fidicen, culte Micylle, lyrae.⁴⁾

Impositusque super tumulum breve carmen habebit,

Vt tua visuris indicet ossa, Lapis.⁵⁾

vel si una eademque vox repetitur in medio?

Hercinii montes Herciniaeque nives.⁶⁾

Facta imitanda bonis, facta cavenda bonis.⁷⁾

vel si Adjectivum illius Substantivi, quod pentametrum claudit, eum in medio
secat?

Culta racemiferis nec viret uva jugis.⁸⁾

Nec rumpunt somnos clasifica, pulsa tuos.

In qua tamen ultima συμμετρίας parte rythmus sedulo vitandus est, quem Lo-
tichius bis non sensisse videtur;

Omnia

1) Quint. Inst. Orat. Lib. I. cap. 8. p. 79. ed. Bur. 2) Lib. I. eleg. I. 3) Lib. I.
eleg. 3. 4) Lib. I. eleg. I. 5) Libr. I. eleg. 4. 6) Lib. I. eleg. 4. 7) p. 223.
ed. Cam. 8) Libr. I. eleg. I.

Omnia nam saltans ebrius audet amans.¹⁾
Sed nunc Tyrrhenis forsan tu laetus arenis.²⁾

Ad ἐνυθμίαν, ut accedam, quamvis non valde repugnem, si quis & superiora ad eam referre velit, haud scio, an quid elegantius, sonorius, suaviusque dici possit, quam si pedes arctissimo quasi vinculo conjunguntur, uti in his:

Sublimem niveis fama redacet equis.³⁾

Aut teneras vires ultra meritumque juventae.⁴⁾
Ne tamen monotonia, qua in arte Musica nihil fastidiosius esse potest, aures poéticas, harmoniae adsuetas, offendat, laxavit Lotichius vincula, quibus pedes constringuntur, modo ante secundum & sextum pedem, ubi vix solutio sentitur: modo etiam ante quintum:

Me tenet hiberno sub fidere, Maenalis ursae.⁵⁾

Arboribus frondes redeunt & gramina campis.⁶⁾

Quodsi vero versus, aut nullas caesuras habet, aut saltem tres priores regiones iis carent, tunc plane rejiciendus est, si ἐνυθμίαν assequi studes.

Neque minus apta quaedam pedum, dactyliorum & spondaeorum mixtio, rerum argumentis accommodata, carminis Elegiaco suavem conciliat pulchritudinem. Nam pueri vel ex Horatio⁷⁾ sciunt, spondaeos natura sua esse graves & tardos, in primis si e monosyllabis oriuntur, etiamque ob causam ad tristitiam, verbis exprimendam, valde aptos: dactylos e contrario celeritatem efficere, laetitiamque prodere. Quam rem, cum vel unius carminis Lotichii lectio confirmet, superfluum esse censeo, nonnulla exempla infra apponere: sed potius ad artificium periodicum propero, quod carminibus Secundi nostri suavem attulit venustatem.

Consistit autem in universum in genere Elegiaco in eo, ut unum quodvis distichon, aut perfectam & absolutam sententiam comprehendat, aut certe priorem periodi partem plenam: neutiquam vero, ut more poetarum lyricorum sensus per varia disticha extendatur. Ne autem versus sint uniformes, ne similitudo periodorum, quae mater satietatis est, afferat lectoribus fastidium, nonnullos versus Secundus noster, aut per minutiora membra protulit, aut per interrogaciones & exclamaciones variavit, aut per parentheses, ab obscuritate liberavit.

1) Juv. p. 266. ed. Cam. 2) Lib. I. car. p. 172. 3) Lib. I. eleg. 2. 4) Lib. I. eleg. 4. 5) Lib. I. eleg. 1. 6) Lib. I. eleg. 1. 7) Art. poet. v. 255.

— cur illa veniret in oras?
 Vnde pedem ferret? quo ve teneret iter?¹⁾
 Vora movent superos, (expertis credere dignum est:²⁾
 Tu quoque scis, (nec culpa tua est) scis optime Phœbe.³⁾

In primis tamen ἐγενθῆται mirum in modum adjuvant figurae tam dictio-
 nis quam rerum. In quibus recensendis, moneo, ne quis omnes quaerat, quas
 rhetores explicare solent, quamvis fortasse omnes in elegantissimis Lotichii car-
 minibus occurrere possint; sed tantum praecipuas, in legendis his Elegiis no-
 tatas, adducam. Sic saepe occurrit illa figura, quae rebus, sensu destitutis, qua-
 si vitam donat.⁴⁾ In primo statim carmine Albi crines, & arenae fallax tribui-
 tur fides:

— — — — — Labitur
 Flavus ubi torquens infidas Albis arenas.

Neque minus grata est ea figura, quam δέσμωποι vocant Graeci:
 — dubiae jucundus imaginis error.⁵⁾
 Dulcis amarities amor est.⁶⁾

Aut quem non delectant sequentes, quarum nomina indicare necesse non erit:

Vnaque per muros vox sonat, hostis adeat.

Hostis adeat, vox una sonat.⁷⁾ — —

Nunc scio, quid sit amor, nunc doctus ab indice dico

En icerum dico, nunc scio, quid sit amor.⁸⁾

Rure nihil pejus, nil rure est tristius uno,

Urbe nihil melius, dulcius urbe nihil.⁹⁾

Eheu jam satis! Ad clausulas versuum, in primis pentametrorum acceda-
 mus, in quibus permulti recentioris aetatis poëtae, veterum vestigia saepe de-
 relinquent, nec Lotichii pulchritudinem assequuntur, qui in fine versuum vita-
 vit voces monosyllabicas, in clausula pentametrorum voces duabus syllabis lon-
 giores nec non participia. Voces, quae una syllaba absolvuntur, ferendae esse
 videntur, si rei naturam aemulantur. Sic Horatius eleganter dixit:¹⁰⁾

Partu-

(1) Lib. II. eleg. 9. (2) Lib. I. eleg. 7. (3) Lib. I. eleg. 5. (4) Plura hujus figurae
 exempla vide infra fictionibus. (5) Lib. II. eleg. 9. (6) Lib. II. car. p. 165,
 ed. Cam. (7) Lib. I. eleg. 8. (8) Juv. p. 265. (9) Juv. p. 260. (10) Art.
 poet. v. 139.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus *mus.*

Et Virgilius

— — — *jacet humi bos.*

Neque minus, si aut duae simul ponuntur, aut ubi sit elisio:

Hoc tamen infelix mortem solabere, *quod te.*¹⁾

Mitis honoratae pacis amator, *ubi es.*²⁾

Quod pentametros attinet, quos voces duabus syllabis longiores finiunt, ii magis Catulliani, quam Ovidiani aut Tibulliani esse videntur. Etenim in omnibus Ovidii libris Elegiacis, viri doctissimi non plures quam decem numerarunt pentametros, qui voces polysyllabicas in fine habent: & in Lotichii carminibus omnibus non multo plures occurunt, & plerumque in rebus tristibus. Quare dubium non est, quin Lotichius data opera, & ἐνεργητικας causa, hos pentametros vitaverit; de quibus prolixo, ut solet, Cel. Burn. egit in praefatione ad Lotichium.³⁾ Tandem denique participia in fine pentametrorum fugienda sunt. Hinc pauca tantum loca in Secundi Nostri carminibus notavi:

*Facta nec injusta est dextera caede nocens.*⁴⁾

*Cum sis orbe magis versicolore decens.*⁵⁾

Haec de ἐνεργητικα in carminibus Lotichii Elegiacis dicta sunt. Veniamus ad sententias, earumque virtutes. In conficiendis sententiis spectavit Secundus Noster, veritatem, honestatem, acumen, & novitatem, iisque carmina, quasi stellis exornavit. Usus est autem iis modice, instar frugalis hospitis, qui convivas mensa secunda non satiari, sed jam satiatos recreari curat. E multis degustemus paucas:

Gloria victori est viatis donare salutem,

Nec crimen, quicquid non bene cessit, habet.⁶⁾

Longa dies regum turres consumit & aurum

Et spolia in templis, exuviaeque ruunt.

At decus ingenii durat, vatunque labores.⁷⁾

Formoso juvenis corpore, mente senex.

Felix qui solis, parvo contentus, in agris,

Degit, ubi proavis res fuit ante suis.⁸⁾

Jam pueris notum est, nihil sere frequentius esse poëtis, quam invocare Musas. Hinc jam dudum quaestum est, an etiam poëtae Christiano licitum sit, commemorare

1) Lib. II. 2) Lib. I. eleg. 2. 3) p. 7. ff. 4) Lib. I. eleg. 11. 52. 5) Lib. I. eleg. 5. 14. 6) Lib. I. eleg. 11. v. 21. 7) Lib. I. eleg. 2. v. 45. 8) Lib. II. eleg. 5. v. 51.

morare Musas? Quodsi Lotichium meum, diligentissimum veri Dei cultorem,
considero, nunquam invenio, eum auxilium Musarum sibi in componendis car-
minibus expetere, sed tantum Musas commemorare in explicandis rebus diffici-
lieribus, aut futuris, aut supra captum hominum positis. Inprimis Musarum
invocationes in carminibus sacri argumenti improbase videtur. Nam in ejus-
modi Elegiis non singit, sibi venam irrigari ex fonte Aganippeo, neque se ab
Apolline agitari; sed vero divini numinis cestro impelli indicat:

Te precor, ô rerum Deus in tribus arbiter, unus.

Non haec Pierides dictant, non fautor Apollo,

Non haec Castaliae suggesterit humor aquae.¹⁾

E gravissimo morbo liberatus, non Musis gratias agit, non Apollini hecatomben
offert, non Aesculapio gallumgallinaceum maestat, sed Deo, O. M. pio animo
grates solvit;

Omnipotens, cujus divina potentia finem

Non habet, aeternum laus sit honorque tibi.²⁾

Quod si vero in carmine jocoſo versatur, aut futura, ut vates praecinere, aut
difficilia explicare studet, recte Musas loquentes introduxit. Sic Dea Caſta-
liis³⁾ quae maxima praefidet undis, diſſuader Lotichio, vitam militarem, eique
promittit e litterarum studiis praemia & majora & perpetuo duratura. Sic Mu-
ſae⁴⁾ referunt Lotichio astrorum conſtellationem, quae eo naſcente fuit, &
Uranie eam quoque explicat. Vellem, ut in transiſtu moneam, ut Lotichius
hanc Astrologiam, quam judicariam vocant, quaeque parum differt a vatici-
niis, quae in Calendariis nostris occurruunt: Ein Kind in dieſem Monat ge-
bohren ic. plane vitaſlet. Sed donanda eſt ſuperſtitioni iſtius temporis, quo
multi plurimum huic Astrologiae tribuebant. Si quis eam adhuc amat, mul-
tum addiscere poterit e Petronii Satyrico. Sic porro Muſae, omnesque Diū
Deaeque conjugales commemorant loquentes in epithalamio jocoſo, in nuptiis
fororis Lotichij ſcripto; ⁵⁾ Sic etiam Dea, seu Virgo, ⁶⁾ quae Patrona tutelaris
urbis Magdeburgi credebatur, Lotichio ſomnianti exponit imminentia hujus urbis
fata admodum triftia; quae Elegia nobilissima omnium eſt, ob vaticinium, centum
annis post impletum, quod in ſe continere videtur. Ad fictiones poēticas, ut
progrediar, Lotichius quidem non audacifimus immiscurt mollibus Elegis, quae
in vitiis ponendae eſſent, sed tamen ingeniosissimās. In carmine, quo Deo,

C 2

O. M.

1) Lib. II. car. I. v. 9. 2) Lib. I. eleg. 7. v. 65. 3) Lib. I. eleg. 2. v. 29, ff.

4) Lib. II. eleg. 8. 5) p. 235, ed. Cam. 6) Lib. II. eleg. 4.

O. M. gratias agit ob recuperatam salutem, eleganter singit, res vita spirituque
destitutas sui causa gaudere :

Agnoscunt Zephyri reducem, viridique sub umbra

Blanditur lateri mollior aura meo.

Argutaque piae volucres me voce salutant,

Gratarique vagae lympha videtur aquae.¹⁾

Neque minus pulchra est fictio, qua demortui cursum astrorum rimantur,
amicisque prius mortuis fata ultima in vita perpetua narrant. Sic morte Phi-
lippi Melanchthonis singit, cœli mundique faciem esse mutatam :

Morte tua coeli facies mutata sereni,

Terraque vix natas mœsta recondit opes.²⁾

In primis mihi semper placuit Elegia de morte Philomelæ,³⁾ umbra imaginis
suae in speculo deceptræ; quam elegantissimis versibus germanicis adumbrasse
videtur Cel. Gellertus, in der Sammlung seiner vermischtten Schriften. Ut
chartæ temporique parcam, juvat pauca adhuc addere de descriptionibus &
comparationibus, quibus Lotichius maximam pulchritudinem carminibus suis do-
navit. Ex descriptionibus haud dubie eminent, quae verbis exprimunt rei
descriptæ naturam. Sic omnes, sine indice, audiunt in his Echo :

Hoc etiam, (quoniam tulimus pejora,) feremus,

Si modo non bello nos graviora, manent.

Heu mihi, quæ duris vox rupibus ista resultat?

Triste quid hoc iterant concava saxa? manent.⁴⁾

Sic ultima vox in utroque versu indicat causam malorum, quæ Magdeburgum
manere videbantur :

Moenia debueram natalia prodere, *taxi*:

Fida nec innocuis civibus esse, *fui*.⁵⁾

Sic versu spondaico recte usus est in exprimenda morte lenta & tarda, non au-
tem ubivis, uti multi nostris temporibus :

pectore suspirabis.

Quis

1) Lib. I, eleg. 7. v. 53. 2) Lib. IV, eleg. 4. v. 23. 3) Lib. I, car. 2, 4) Lib. I,
eleg. 8. v. 93. 5) Lib. II, eleg. 4. v. 29.

Quis non in legenda veris descriptione retinetur, quae Lib. I. Eleg. 6. occurrit? aut quem non capiunt mortis descriptiones? Libr. I. Eleg. 6. & Lib. IV. Eleg. 6. Cui Veneris II. 8. Cupidinis IV. 3. Itineris Tapruensis displicant? Neque minus gratae sunt comparationes, vel ex aliis poëtis repetitiae, vel ingenii felicitate Lotichii inventae. E multis, nonnullas indicasse satis erit. Fortem in hostes imperum, praeente Ovidio & Horatio, cum leone aut aprofaucio,

Inde ruit miles, veluti de montibus altis

Ille canum saevis morsibus actus aper. ¹⁾

Vitam & mortem comparat suaviter cum Sole occidente & oriente: immaturum obitum cum flore per aratum succiso, aut cum floribus vere renascentibus. Vitam hominis caducam cum rosa & liliis, cum jaculo ab arbore reciso, nunquam rursus frondescente. Et sexcentae plures comparationes occurunt, quas brevitas causa hic ne indicare quidem possum.

Ex his, in summam quasi collectis, unusquisque haud dubie perspiciet, quid in carminibus Lotichii pulchrum sit, & cur elegantissimus hic poëta diligenter sit legendus, ita tamen, ut antiquis, qui fontes sunt, non praferatur. Quicquid enim pulchri habet, habet autem multum, ut vidimus, debet veteribus. Ast erunt fortasse, quibus mirum videatur, cur in demonstranda carminis Elegiaci pulchritudine, quo contendit Lotichium excelluisse, ne voculam quidem dixerim, de ingeniosis allusionibus ad nomina propria, & de Chronostichis, quae nostri tantopere amant, laudant, admirantur? His paucis respondeo, occurrere quidem allusiones in carminibus Lotichii, uti & in Ovidio quedam sunt: sed has pueriles ineptias, quae, ne unius quidem assis sint, venustatem magis impedire quam promovere. Chronosticha, pigmenta illa puerilia, optimus Lotichius, cum poëtis Graecis & Latinis, cane pejus & angue fugit; gratulorque ei, quod posteritati eruditiae se non derisui exposuerit. Quare tironum causa, ne ingratum & ridiculum laborem, chronosticha confundendi, suscipiant, repeto Cel. Klotzii ²⁾ verba, animis studiosae juventutis inscribenda: O Germania, Germania, quando tandem ineptire desines, exterisque benignam cavillandi & jocandi materiem dare? quando abicies amorem ornatorum puerilium, quae non, nisi imperitis nitent, aliis vix enarrabilem foeditatem habent? Nullus principum moritur, nulla res paulo memorabilis accidit, ecce! in actis diurnis miserorum hominum ineptiae apparent, qui expungendis litteris

C 3

collo-

1) Lib. I. eleg. 8. v. 67.

2) Act. Litter. Tom. I. p. 147.

collocandisque magnum aliquid sibi egisse videntur, si viri nomen aut numerum anni inde elicuerint. Quid vero sapientiores? rident, aut ingemiscunt: exter¹⁾ cachinnos tollunt, & sibilis nostrum acumen puniunt. Nos miramur, inveniri adhuc in tanta litterarum luce, in tanta bonorum scriptorum copia, qui ejusmodi crepundiis tempus & operam perdat.

Sed nunc indicandum est consilium, quo ad scribendum, quicquid hujus prolationis est, animum adjecerimus. Nempe producendi sunt IV. erectae indolis, bonaque spei juvenes, qui suae qualisunque dicendi facultatis specimina edant, eo die, quo primus eorum, qui mihi per quatuor fere annos & motum elegantia, & studiorum assiduitate satisfecit, abitum e Schola Nostra parat. Dicent autem omnes sermone latino de arte oratoria.

- I. Christianus Fridericus Conradi, Stolpensis, demonstrabit oratorem esse debere virum bonum.
- II. Christianus Fridericus Zumpe, Dresd. probabit oratorem esse debere eruditum.
- III. Christianus Leberecht Seyfertus, Lichtenstein-Schoenburgicus indicabit, oratorem esse debere Philosophum.
- IV. Gottlob Funcke, Reichstadiensis, ostendet, artem orationis, Theologo, Juris Consulto & Medico esse necessariam & utilem.

Quo facto Doct. Conradi, qui assidua diligentia & vitae probitate, non tantum omnium amorem apud nos sibi conciliavit, sed etiam eam facultatem consecutus est, ut nunc cum laude & fructu in Academiam Lipsiensem properare posit, Patronis & Scholae, sermone Gallico valedicet: cui eodem sermone *Seyfertus* ²⁾ quaeque apprebaritur.

Ad

1) cf. Englischen Zuschauere I, Theil, 60. Stück, p. 289, ff.

Ad quos benevole audiendos, ut a. d. XX. Mart. Hora II. pomeridiana
frequentes convenient, qui bonis litteris, Nostraequae adeo Scholae favent, huma-
nissime & officiosissime rogamus. De quo, quamquam non dubitamus, tamen
more recepto, Virum Magnif. Summeque Venerab. hujus Scholae Ephorum,
Gravissimos utriusque Vrbis Patres Conscriptos, Rever. verbi divini Ministros
reliquosque Scholarum Patronos mirum in modum oramus, ut Actum Nostrum
sua praesentia ornare velint. P. P. in Sch. Nov. Vrbis ad Dresd. a. d.


xv. Mart. A. R. S. cīo Io cc LXVI.



2KTE 17.24

X 23A 3057





B. m. II 661

D E

EO QVOD PVLCHRVM EST

IN CARMINIBVS ELEGIACIS
P. LOTICHI SECUNDI

DISSESTIT

S I M V L Q V E

AD AVDIENDAS

IV. ORATIVNCVLAS

IN

SCHOLA NOVÆ VRBIS AD
DRESDAM

A. D. XX. MART. A. C. CLCL LXVI.

HORA II. HABENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

HUMANISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIUS

RECTOR

FRIDERICOSTADID

EX OFFICINA HAGENMULLERIANA.

